

**Rectore magnificentissimo serenissimo principe regio ... De morbis
classiariorum et navigantium eorundemque remediis ... : sub praesidio ...
Christiani Vateri ... pro-licentia summos in arte salutari honores et
privilegia doctoralia rite impetrandi ... / auctor et respondens Matthias
VVilhelmus ab Aspern, Havniens.**

Contributors

Aspern, Mathias Vilhelm von, 1685-1751.
Vater, Christian, 1651-1732.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Literis Augusti Kobersteinii, [1715]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/st8s6p2b>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52853/p

Sugr. PIASP



J. Wittenberg 1915

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORAT. SAXON. HEREDE ETC. ETC.

in 14407 x DE
MORBIS
CLASSIARIORVM
ET
NAVIGANTIVM
EORVNDEMQUE REMEDIIS

GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICI DECRETO
ET CONSENSV,

S V B P R A E S I D I O

VIRI PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTIS-
SIMI, EXPERIENTISSIMI QE

DN. CHRISTIANI VATERI,
PHL. ET MED. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL.
NEC NON PHYS. PROV. SAX. ET S. S. PRINCIPVM ANHALT.

ARCHIATRI, ET NATVR. CVRIOS. COLLEGAE,

DN. PATRONI, PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS SVI PIA ET
NVNQVAM INTERMORITVRA VENERATIONE COLENDI,

PRO- LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE IMPETRANDI
DIE AVGVSTI MDCCXV.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS DISSERET

AVCTOR ET RESPONDENS

MATTHIAS VVILHELMVS AB ASPEREN,
HAVNIENS.

348485.

Hippocrat. L. I. de diebus Indicator.

Ad sapientem Medicum pertinet, qui sciat morbos uti ex locorum, sic tempestatum æstimare ingenio, ut ex iis prædicendi facultas suppetat, ac præterea, quibus, quando & quomodo victus rationem præscribere oporteat, cognoscat.



DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
MORBIS CLASSIARIORVM
ET
NAVIGANTIVM.



Vantæ utilitatis necessitatisque sit, Medicum Aëris imprimis & Aquarum & Locorum naturam, & quæ ex illis corpori nostro contingere solent mutationes, intelligere, jam dudum Hippocrates noster Oper. Tom. I. p. 327. peculiari de his libello aureo, gravissimè monuit: Quicunque, inquiens, Artem Medicam integre assenti velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat:

*Deinde ventorum, maxime, qui ex his omnibus homi-
bus sunt communes; & mox, qui in unaquaque regione
sunt indigenæ & proprii: Neque verò negligentiorem
se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere con-
venit: Et profecto quicunque horum omnium
notitiam sufficientem habuerit, illum quoque, ubi-
cunque terrarum vixerit, neque morbi, istis locis
familiares & præcipui, sive præsentes, sive immi-
nentes, eorundemque causæ; neque quibus reme-
diis ab inquilihis istis arceri, aut contracti jam in
tempore curari possint & debeant, latere nequit:
Atque ita in munere sibi demandato non facile
errabit, sed magna artis suæ gloria ubivis recta via
procedet. Cum itaque Patria, & in ea popula-
res mei charissimi, imprimis Navigationibus de-
diti, ob peculiarem aëris istius marini naturam &
mutationes frequentes, varios admodum & sin-
gulares, quasi endemios & vernaculos morbos
patiantur, dignum exercitio academico argu-
mentum, à paucis haec tenus, uti memini, occupa-
tum judicavi, morbos Classiariorum & Navigan-
tium, eorundemque curationem quodammodo
disquirere, & peritorum sententias colligere; nullo
alio consilio, quam ut, volente Deo & Rege meo
clementissimo, commodis Patriæ inservire queam.
Faxit DEVS feliciter!*

CAP. I.

Morbos Navigantibus familiares eorumque causas disquirit.

THES. I.

Dlætam, seu Rerum non-naturalium, sic dictarum, regimen ad sanitatis vitæque nostræ conservationem maxime necessarium esse, nemo est, qui ignorat, cum, teste quotidiana experientia, solius hujus ope multi admodum citra ullum medicamentorum subsidium, ad summam usque senectutem perveniant; è contra verò sine ejus ope remedia, etiam si efficacissima & generosissima parum, vel nihil auxilii præstare queant. Solius certe aëris in alterandis corporibus nostris tanta vis est, ut uti omnes fere morbos producere, ita quoque ab iisdem præcavere, vel etiam curare eos queat. Non solum inspiratione, sed & transpiratione ad intima corporis nostri admissus, si rite constitutus & satis temperatus fuerit, ut motus vitales in sanguine & reliquis humoribus unicè dirigit, fovet & conservat, ita è contrario, quocunque modo à temperie debita recedens, & vel in quantitate, vel qualitatibus, vel motu excedens, aut deficiens, innumeris sanè mor-

bis producendis fores aperire, & solum item præbere quotidie observatur. Idem etiam ab alimentis & potulentis fit, utpote quibus neque nutritio neque vita, quæ pari passu ambulant, conservari queunt: Qualis autem cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, & qualis sanguis reliquaque succi, ab eodem oriundi, talis quoque sanitas: Neque minus motus, cuiusvis hominis ætati, temperamento, & vitæ generi congruus, ad conservandam sanitatem tam necessarius, ut, judice etiam Hippocrate, inevitabilis morborum necessitas sit, nisi talis & cibo & potui accesserit, indeque optimis quibuscunque remediis saepe præferri debeat. Per motus enim corporis decentes promoventur & conservantur motus succorum intestini & progressivi, facilitantur omnes digestiones & secretiones, peraguntur omnes nutritiones & augmentationes: Imo per eosdem non modo corporis, sed ipsius quoque mentis vigor, alacritas & harmonia cum corpore conservatur; modo omnia debito tempore, moderamine & loco instituantur, & per grata quietis intervalla moderentur. Quo etiam somni & vigiliarum usus moderatus pertinet: Per vigilias enim moderatas, æque ac motum, promoventur digestiones & secretiones omnes, excitatur calor nativus, augetur robur & vigor corporis

ris ac mentis, æque ac in somno Spiritus, laboribus & vigiliis absfumptos & exhaustos, mirificè recreari, quilibet novit: Imo & solius animi motus moderati uti sanguinis & totius corporis temperiem necessariam conservant, ita immoderati è contrario eandem maximè turbant, destruunt, atque mille modis nocent.

THES. II.

QVæ cum ita sint, quilibet facile videt, quam difficillimum sit, Navigantes, à patria & domestica vivendi ratione nimium sejunctos, sanitatem & vitam diutius conservare posse; ubi res illæ, quarum genuinus usus sanitatem corporis conservare debebat, vix ac ne vix quidem legibus ita alligari se patiuntur. Si enim aliàs unico solum, in sex rerum istarum non-naturalium usu, peccato commisso, morbus sæpe gravissimus sequitur, quid non ad regiones maximè dissitas, per mare ejusdemque tot tempestates excurrentibus, metuendum erit, quibus aër toties permutatus, modo tranquillus, modo turbulentus, impetuofus, nebulosus, crassus, falsus, squalidus, fœtidus; cibi itidem prorsus insueti, crassi, flatulenti, sale muriatico-conditi, fumo indurati; potuum pravorum etiam diversa genera, motuum importunita-

tunitates, nimiæ vigiliarum continuationes, subitanæ & ingentes terrores, ex præsentissimis vitæ periculis, aliaque mille mala toto die noctuque obveniunt. Nemo nescit, Navigantes neque ventis neque frigoribus, aut fervoribus solis, neque pluviis aliisque injuriis parcere, sed prompto semper corpore aëris cujuscunque, ventorum, tempestatum & locorum mutationes excipere, modò fame, modò siti torqueri; vel si his etiam subleventur, nulla tamen quantitatis, qualitatis, temporis, vel modi ratione habita, cibum potumque ingerere, laborum & vigiliarum modos necessarios negligere, nullam, sine turbatione, quietem habere: Non minus sudores, quibus inter labores continuos & in aëre squalido sæpe diffluunt, mox rursus à mutato aëre frigido & ventis insolentibus reprimi, poros totius corporis subito occludi, ac reliquas excretiones, alias summè necessarias, mille modis & obstaculis inter anxietates istas turbari ac penitus sufflaminari: Ne dicam de animi pathematibus, angore & sollicitudine, timore, tristitia cum spe metuque permistis, quibus continuo fere agitantur, anguntur & tantum non exanimantur. En hæc Navigantium Diæta, hoc vitæ genus, & sex rerum non-naturalium tam necessiarum regimen, ex quo sane non nisi innumeros

ros gravissimosque morbos oriri quis dubitet? Horum igitur notiores, eorundemque causas singulares, & quibus deinceps cautelis & remediis præcaveri, aut curari possint & debeant, nunc videbimus.

THES. III.

MOrbi ergo Classiarii hic nobis non sunt communes vel sporadici, quibus quidem etiam navigantium non nulli ex aliis & privatis causis non carent, sed illi tantum, qui culpa istius vitæ, istorum locorum, ventorum, alimentorum, aquarum aliarumque circumstantiarum navigantes plerosque invadunt, vel etiam ab aliquibus tantum contracti, hisce causis magis augmentur, exacerbantur & multiplicantur: Neque eo ipso morbos ejusmodi etiam aliis in locis, terris, regionibus, urbibus &c. oriri posse diffitemur, sed quod tales in mari tum ob diætæ errores speciales, tum etiam ob foimenta & contagia malorum magis collecta, & tandem ob sanationis impedimenta quam plurima, Navigantibus magis familiaria sunt, & proinde quoque specialem curam & præservationem non immerito sibi postulant.

THES. IV.

B. *Montagnana Consult. fol. II. ad reverendissimum Abbatem Cameracensem, è Provin-*

cia Angliæ trans mare in terram sanctam Hierosolymitanem navingantem, à sequentibus potissimum symptomatibus se cavere monebat: Nausea sc. & vomitu immoderato & ventris fluxionibus, anorexia, dolore & gravitate capitis, vigiliis immodicis, viriumque perditione: Sed longe plures miseris navingantibus imminent, inter quos omnino primum ferè locum habet Nausea & vomitus, quibus omnes propemodum Navigantes, etiam maximè fani & robusti, imprimis tamen cholericī, cacoehymici, debilitate ventriculi, & viscerum obstructionibus obnoxii, nullo ferè excepto, præter huic vitæ generi diu adsvetos, mirum quantum exercentur; idque maximè ob infolitam & insuetam agitationem, quâ unà cum na vi fluctuante non solum continuò quasi librantur, ab uno latere in aliud jectigantur, sed quoque sursum & in altum subito modò attolluntur, modò in abyssus præcipitantur, nunc antrorum & deorsum & in gyrum quasi volvuntur; quo ipso sanè motus & circuitus humorum naturalis multoties interturbatur, consequenter secretiones in visceribus omnibus digestoriis & imprimis ventriculo impediuntur; unde ille in motus ejusmodi spasticos facile concitatur. Miratus hoc ingeniosissimus alias *Ballonius Coment.* in *Theophrastum de vertigine:*

tigine: Quæ fatalis, inquit, hæc conditio: Motus directi sunt innoxii, sphæricus verò nocentissimus: Circularis rotatio & circumactio corporis nostri sunt præcipui lapsus autores, sinistri & ominosi morborum graviorum prænuncii. Orbicularis tamen & circularris in meandris sanguinis naturæ arridet, & redditu negotiosissimo officiosissimoque reciprocans sanguini suam largitur perfectionem, & in cordis sinubus spiritibus largitur nitorem, in cerebro vero canalibus ab eo se patitur turbari. Sed mirari hodie desinit, qui motus sensusque animales omnes per elatorem & influxum succi nervei, seu spiritus animalis, rectilineum fieri novit, quem a motibus ejusmodi corporis insvetis & tumultuariis quoque turbari & impediri, quilibet facile intelligit. Imo adspectus solùm rerum rotantium vertiginem & vomitus in minus adsuetis excitare videmus; procul dubio, quod per ejusmodi adspectum etiam motus anomalus & vorticosis in spiritibus animalibus excitetur: Id quod etiam multis, qui præter consuetudinem apertis oculis in curru deorsum vehuntur, contingit, minus vero, qui oculos clausos habent; qua de causa equis aliisque animalibus in gyrum ducendis, oculi velamento occludi solent. Alii quidem cum Pontano de Bello Attic. p. 524. symptoma illud exhalationibus sali-

nis maris potius tribuunt, indéque non nisi tempestate insurgente id contingere autumant; verum contrarium experientia toto die testatur, & *Olearius Itinere suo Persic.* mare maximè tranquillo id sibi aliisque evenisse observavit: Potius igitur terrori, anxietati & metui aliquid tribuendum putamus, quibus novelli imprimis navigantes præceteris obnoxii, non secus ac illi, qui imminente fulmine, aliave tempestate, vel solum ab aspetto rerum terribilium, adeò perturbantur, ut statim vertigine, lipothymia, vomitu aliisque symptomatibus tententur. Tantum & tam intimum animam & corpus intercedit commercium, ut neutrum facile absque alterius compassione lœdi possit.

THES. V.

Inter ejusmodi anxietates & conatus ventriculi spasmodicos fieri non potest, in primis si diutius durat, quin non solum digestio alimentorum ibidem maxime turbetur, sed etiam tonus ventriculi simul labefactetur, æquè ac à vomitoriis intempestivè, vel crebrius, ac par est, exhibitis fieri solet. Quibus si cibi simul minus salubres, duri, crudi, aut solum præter consuetudinem & ordinem ingesti accedunt, mala hæc eò magis ex-

cita-

citari & augeri necesse: Propterea tamen vomitus tales, modò modum non excedant nec nimis diu durent, multis quoque medicinæ loco inferire & impuritates primarum viarum, diu antea collectas, salutariter evacuare posse, non diffitemur, uti inferius observabimus.

THES. VI.

EX iisdem causis multi Navigantium etiam Diarrhœa aliisque fluxibus alvinis corripiuntur, præcipuè tamen cacochymici, cholericí, & ventriculo, alias debili, præditi: Non enim ventriculus solum, sed totus alimentorum canalis per motus ejusmodi infvetos irritatur, eoque ipso humorum affluxus versus eundem derivatur. Quem præterea quoque transpirationem ab aëre marino admodum crasso, denso, & communiter frigido maximè promoveri, nullum dubium est: Transpirationis enim, per omnem ambitum corporis nostri inevitabilis & perpetuæ ad vitam ejusque incolumitatem conservandam, tanta est necessitas, ut ab eadem impedita quindecies plures morbos, quam per omnium reliquarum evacuationum suppressiones oriri, sine offendionis metu dici possit: Nullum igitur dubium est, quin ob hanc in aëre tam crasso, humido, frigido, falso evacuationem

cohibitam, plerique Navigantium morbi, & imprimis quoque Diarrhœæ excitentur, quando humiditas illa superflua, quæ aliàs per ambitum corporis difflari debebat, intestina versus decumbit, ibidémque, ob acrimoniam conjunctam, alvi fluxus dolorosos efficit; quemadmodum etiam aliàs extra mare non rarò à sudore & transpiratione cohibita ejusmodi fluxiones toto die contingunt; nec sudor, nisi Diarrhœis cohibitis, unquam impetrari potest.

THES. VII.

Alli quidem, in primis sicciores, etiam alvi pertinaces constipationes experiuntur, sive ob nauseam & vomitus continuos, quibus alimenta prorsus negliguntur, aut si assumuntur, tamen per superiora rejiciuntur rursus, indéque materia excretionum alvinarum subtrahitur: Imo crebris vomitionibus fibræ intestinorum motibus ejusmodi peristalticis adfvescunt, ut contenta sursum potius, quàm deorsum propellere conentur. Alii etiam inter anxietates & metus continuos alvi stimulos non sentiunt, vel suppressunt; id quod in fœminis, ex intempestiva verecundia factum esse novimus, tantâ alvi & fœcum duritie insecuta, ut non nisi folle applicato anus aperiri potuerit.

THES. VIII.

THES. VIII.

QVid igitur mirum, quod, digestionibus pri-
marum viarum adeo perturbatis & impedi-
tis, non minus quoque reliquæ lœdantur, indéque
innumeris alii morbi, in primis Febres intermitte-
tes & continuæ, acutæ, malignæ & contagiosæ
ipsaque Pestis oriantur, eæque sæpius longè de-
teriores, quām in terrenis locis: Etsi enim tales
non minus ac alibi à motu sanguinis intestino pla-
nè præternaturali & turbato, sive continuò, sive
per intervalla recurrente, excitentur, major ta-
men in his ægris, ob inumeros diætæ errores, hu-
morum acrimonia, visciditas, transpiratio verò
longè difficilior accedunt, unde fieri non potest,
quin iisdem etiam longè major paroxysmorum
exacerbatio, protractio, subitanea mutatio, multi-
plicatio, crises verò rariores & difficiliores contin-
gant; consequenter tales quoque curæ eveniant,
nisi auxilia, ad has causas speciales omni cautela &
prudentia directa, adhibeantur. Ex quo etiam Se-
renissimus quondam ac Clementissimus Patriæ meæ
Pater, CHRISTIANVS, Seculi prioris Anno qua-
dragesimo, commotus, universo Collegio Medico
Hafniensi clementissimè injunxit, referente ce-
leberrimo Bartholino in *Cista Medica Loc. XL I.*

p. m. 439. ut in commune omnes cito & studiose deliberarent, quomodo tot morbi & in primis Febres periculosæ & contagiosæ, quæ in Holmia inter Naucleros Regios tum temporis maximè grassabantur, curari & præcaveri possent.

THES. IX.

Sed tamen præter hæc mala omnium maximè incolas maris afflit, & tam Medicos quam ægros mirificè exercet Scorbatus, Cacochymia & Cachexia illa non sanguinis solùm & reliquorum humorum, sed totius corporis, etiam quoad partes solidas, salsa muriatica, plus minus austera, viscida, eaque plurimorum morborum aliorum fœcundissima mater & foror: Neque mirum, quandoquidem omnes causæ Scorbuti marinis sunt vernaculæ, & veluti hostes conjurati in productionem mali hujus conspirant. Solus certe aër marinus non effluviis solùm aqueis, sed & salinis, muriaticis, crassis, imo & fœtidis & male olentibus ex mari, lacubus, piscinis, alga putrida, aliisque rebus immundis maximè turgidus, producendo huic morbo sufficere poterat, sive poros tantum corporis, uti antea meminimus, sua frigiditate, humiditate & crassitie obstruendo, & transpirationem debitam inhibendo; sive per inspiracionem

nem tota sua substantiâ in sanguinem reliquósque humores penetrando, eosdemque eadem sua falsedine & impuritate inquinando; Sed huic deinde accedunt alimenta ejusdem conditionis; ipse panis, qui non raro è frumentis, vel farinis ferè corruptis, mucidis, nec bene fermentatis confectus, neque satis coctus, vel nimium induratus, exsiccatus, sive bis coctus, sive aliis; carnes porro porcinae, vervecinæ, bovinæ aliæque; nec non haleces, aselli & pisces alii, per suam naturam non solùm succo admodum crasso, viscido, glutinoso & coctu difficultimo scatentes, sed & præterea muria conditi & indurati; Edulia itidem varia ex ovis induratis, caseo, butyro rancido, pisis, avena, lardo & similibus parata; è quibus omnibus non nisi crassum, viscidum & salfuginosum chylum, consequenter talem quoque sanguinem scorbuticum generari necesse est: Quid dicam de potu, sive vini, sive cerevisiæ crassæ, fæculentæ, aut diuturnitate temporis & mutatione aëris planè corruptæ, acidæ, fœtidæ, aquæ ipsius impuræ, & falsæ: In specie Vini spiritum, sive è vino ipso, sive fæcibus ejus destillatum, maritimis quoque maximè noxiis observarunt Medici Dani, testantibus *Actis Hasniensibus Volum. V. obs. CXVIII.* atque ex illius usu, vel potius abusu, Scorbustum feri-

num, Icterum, Hydropem aliisque mala contraxisse Nautas: procul dubio, quod salia, quibus alias illorum corpora abundant, ejusmodi spirituosis magis exalentur, commoveantur, indeque succorum acrimoniam, & vasorum viscerumque exficatione & erosio sequatur: Hæ enim præcipuae causæ sunt, quare Morbus hic Septentrionalibus non solum, sed & omnibus maritimis locis, accolit Maris Baltici & quæ Germanico Oceano adjacent, Hollandiæ, Seelandiæ, Flandriæ, Britanniæ, Norwegiæ, Daniæ, Sveciæ & Islandiæ, Livoniæ, Curlandiæ, Pomeraniæ, Westphaliæ aliisque locis finitimis maximè familiaris, imo endemius quasi & vernaculus sit, semper inter eorum incolas habitans, nunquam ferè eosdem deferens.

THES. X.

ET ex eodem fonte tot innumera alia mala navingantium promanant, imprimis arthritis, dolor ille artuum & articulorum totius corporis immanis, modò vagus, modò fixus magis, cum mille aliis symptomatibus stipatus, ab ejusmodi sanguine feroque plus minus falso, acri, viscido, ubi vis in vasculis, potissimum minoribus & extremis stagnante, irritante, & lancinante immediatè pendens. Sanguis quidem noster, ut & reliqui humo-

humores, gaudent per naturam partibus quoque
salinis, volatilibus & fixis, iis tamen cum partibus
aquosis, gelatinosis aliisque optimè temperatis, &
cum multo sero dulci blandissimoque dilutis, quæ
omnes quam diu in debita ista proportione &
harmonia existunt, tam diu quoque mare mi-
crocosmicum, sanguis scilicet, in arteriis venisque
suis tranquillè admodum movetur, & intra termi-
nos suos pacatè & blandè circumfluit; ubi verò har-
monia ista tot diætæ erroribus immutatur, & hu-
mores tot impuritatibus, imprimis salinis, crudis,
crassis quovis momento inquinantur, digestiones
in visceribus turbantur, viscera ipsa simul debi-
litantur, &, quod maximum, debita transpira-
ratio & depuratio, in aliis emunctoriis, uti supra
vidimus, cohibetur, fieri non potest, quin eo ipso
motus in humoribus istis plane præternaturales &
tumultuarii oriantur, salia peregrina ad extremi-
tates vasculorum & articulorum propellantur;
unde tantæ in partibus istis membranosis & exqui-
site sensibilibus tensiones, vellicationes, rosiones,
imo continui solutiones insequuntur.

THES. XI.

Imo si salia ista nimis crassa, tartarea, largius in-
tra articulorum ligamenta secedunt, ista non so-

lum exsiccantur, indurantur, contrahuntur & ad motum prorsus inepta redduntur, sed etiam salia ipsa intra cavitates eorum in tophos, fungos & gummata concrescunt, indéque contracturas enormes efficiunt, ut neque manus, neque pedes officium suum amplius facere queant. In quibus vero fabulum illud tartareum magis versus lumbos & vias urinarias decumbit, illi præterea nephritide & calculo simul torquentur.

THES. XII.

IN aliis rursus, quibus per ætatem medium adhuc viscerum robur & sanguinis vigor constat, impuritates istæ salinæ ad ambitum corporis ejiciuntur; quo etiam pertinet *Sarna* illa Portugalesibus dicta, scabiei species ferina & contagiosa, quæ, ubi vires sumpsit, teste *Paulo Antonio Zuchelli d. Gradisca in Itinerar. p. m. 288.* tam longè latèque serpit in corpore, ut, lepræ arabicæ instar, omnia viscera & totum corpus occupet, idque ex intensissima aëris, alias salini & crassi, culpa fieri, ipsi inquilini observant & fatentur.

THES. XIII.

QVid dicam de multis aliis symptomatibus scorbuticis, nimirum ulceribus Fordidis artuum

tuum & faucium, in specie stomachace, fissuris labiorum & manuum, serpigne capitis, tumoribus in locis glandulosis, scrophulis, icirrhis, asthmate, hydrope, tympanitide & ascitide, atrophia & marasmo; doloribus itidem capitis pertinacissimis, vigiliis continuis, catarrhis aliisque, quæ omnia tamen ex eodem fonte, sanguine scilicet viscido, salso, plus minus acri promanant, tantum quod pro diversitate subjectorum, temperamentorum, complicationum cum aliis causis morbificantibus, diversimodè ludant, & miseros Navigantes multò gravius, quàm alios affligant.

THES. XIV.

Sed tamen præter hæc etiam innumera alia mala Eosdem expectant: Quoties enim contingit, quod à frigoris inclemencia, alias in locis maritimis, ob crassitiem & falsedinem atmosphæræ, longè graviori, quàm in terris, imprimis circa Zonam frigidam, ita lœdantur miseri, ut non raro digitos manuum pedumque, aures & nasos perdant, si non planè extinguantur, uti in Grönlandia, Nova Zembla & juxta montes Islandicos nighantes suo damno toties experiuntur, teste Olear. l. c. L. III. C. 2. Reperiuntur enim ibidem loca, ubi per plures menses sol ne quidem vide-

tur, unde nihil mirum, quod aér totus effluviis aquosis, nitrofis, falsis repletus, & intra pulmones per respirationem continuam admissus, sanguinem & reliquos humores iisdem uliginibus falsis inquiet, eosdem condenset, inspisset, & vascula ipsorum minora majoraque obstruat, unde non potest, quin exinde, præter mala priora, etiam gravedines, tusses, asthma, phthisis aliisque presso pende sequantur: Imprimis verò in partibus extremitis cartilaginosis & tendinosis, aliàs à frigore minus munitis, & vasculorum textura teneriori præditis, motu & circulo sanguinis in vasculis istis inhibito, subitaneas inflammationes, gangrenam & sphacelationem excitat. Notabile insuper est, quod his inflammationibus præ cæteris insignis fervor & pruritus conjungatur, propter sal acre à frigore simul insinuatum, isque eò gravius affligens, quo magis transpiratio, ad curandas inflammationes necessaria, ibidem locorum ab aëre tam crasso & frigido inhibitetur. Multis proinde, imprimis qui manus potissimum frigori & aquæ marinæ expondere coguntur, tumores in digitorum extremitatibus & sub unguibus, paronychiæ dictæ, tanto cum dolore, fervore aliisque symptomatibus contingunt, ut unguies à frigore tacti tandem secedant, quando succus nutritius per tubulos constrictos & flaccidcen-

cescentes ipsis denegatur. Ea enim atmosphæræ nos ambientis natura est, quòd, licet per se neque calida, neque frigida, pro diversitate tamen impulsus & motus, modò caliditatis, modò frigiditatis effectus inducat. Quemadmodum igitur à radiis solis & lucis rapidissimè mota, expansa, & rarefacta ubivis motum & æstum in corporibus aptis excitat, ita è contrario, absentibus solis aliorumque siderum radiis, eò fortius omnia sublunaria premit, fluida condensat, coagulat, porosa & mollia constringit, eoque ipso tot mirandos in corporibus, modò salutares, modò noxios producit effectus.

THES. XV.

NON minus hoc vitæ genus oculis maximè infestum & noxiū observatur, unde ophthalmia, hebetudo visus, imo cœcitas frequentissimæ sunt inter Navigantes, imprimis in itinere versus Amboinam, Bandam & Moluccas teste *Jacobo Bontio L. II. Histor. Natural. C. XVI. Castellus eosdem Encanthide & Ægylope sæpius corripi annotavit, qui in specie sero, in glandulis istis stagnanti, debetur; idque procul dubio rursus ab aëre & vietu crasso, leguminibus nempe flatulentis, allio, cæpis aliisque, oculis alias per naturam infestis.*

Sic

Sic *Bontius l. c.* experientia edoctus Oryzæ largiorem usum symbolum suum hic contulisse refert, ut etiam equi, eodem largius nutriti, occæcari soleant. Accedit quod caput & oculi præ cæteris aëris istius injuriis exponantur, unde facile oculorum tenerrimorum tunicæ, vascula & glandulæ nimium constringuntur, & humores in iis condensantur, à quibus aliàs mala hæc immediate dependent. Imo & splendor undarum Navigantium oculis nocet, æque ac nivis, observante *Tavernier Itinerar. Persic. L. I. C. II.* Cum enim visus non nisi in receptione radiorum lucidorum constat, iique à rebus splendentibus fortius ad oculos reflectantur, facile fit, quod ab iisdem quoque fibræ pupillares & ciliares, ipsaque tunica retina lædantur, eoque ipso situs & puritas humorum perdantur.

THES. XVI.

Consulto præterimus crebras contusiones, luxationes, vulnerationes & fracturas artuum, quæ inter tot labores & procellas quidem hic frequentiores & graviores, præterea tamen nihil peculiaris habent. Sed insectorum meminisse par est, quibus Navigantes mirum quantum affliguntur; non pediculis solum, sed variis etiam culicibus,

bus, quantò parcioribus indumentis alternare, & corpora sua à fōrdibus mundare queunt: In multis Americæ locis reperiuntur insecta pulicibus non dissimilia, quæ sub unguibus manuum pedumque se primum occultantes carnem & ossa ibidem eridunt, cum ingenti pruritu, dolore & inflammatione, ut, nisi in tempore educantur, membra ipsa sphacelata rescindere necessum sit. Ita testantur *historiæ Americanæ Part. III. C. IV. Dionys. Carl. Lib. I. C. IV. G. Piso Histor. Natur. Lib. II. Cap. XVI.* insecta varia & maligna naves, imprimis quo æquatori propius accedunt, tam copiose obruere & infestare, ut neque alimenta, neque corpora sua ab illorum noxis & corruptione defendere possint. Imo nulla propemodum planta ibidem reperitur, quæ non peculiare insectorum genus nutriat, unde mirum non est, quod ejusmodi semina, aut vermiculi ipsi à valde fitientibus & elurientibus incautis, una cum alimentis & potulentis assumantur; Et exinde fit, quod intra carnem quorundam vermes nascantur, quos Arabes Venam Mediensem appellant, quoniam in provincia Medina frequentius observantur, Teste *V Velchio Exercit. ſpecial. de vena Medina C. I. p. m. 39. & C. XII.* quamvis etiam in Ægypto, nec non in Insula Ormo & Gamron apud Persas, & apud Affros in Gumea reperiantur.

THES. XVII.

Tandem quoque hic observari meretur, quod, referente *Listero Hist. A. A.* Nautas, quibus plenus victus & abundantia spiritus Vini in regionibus frigidis data fuere, omnes ad unum subitanea & præmatura morte saepe extinti fuerint; idque non semel, sed reiteratis saepius vicibus observatum esse: E contrario vero Anglos aliosque, casu ibidem relictos, & sola aqua miserrimisque offulis e balenarum reliquiis, situ & marcore corruptis, paratis, per novem menses & amplius vitam servasse, & integra sanitate ad suos rediisse. Procul dubio quod ex largo illo victu potuque spirituoso, accedente imprimis transpiratione difficulti, motus in humoribus peregrini, inflammationes viscerum, febres acutæ aliaque mala orta fuerint; quæ à cibis tenuioribus & consuetis, licet etiam pravis, minus metuenda.

CAP. II.

DE

Navigantium Præservatione
& cura.

THESS. I.

Tanta adeò Morborum copia est, quibus cum Navigantibus, si non omnibus, plerisque tamen quotidie, vitæ istius culpâ, conflictari necesse est, præter innumeros alios, quos cum aliis hominibus, extra mare viventibus, simul communes habent: Utrum verò rebus ita comparatis, & ab hujus sortis hominibus, quibuscunque etiam cautelis & remediis adhibitis, præcaveri, vel præsentes jam curari queant, non immeritò quis dubitaverit. Vidimus enim, omnes istos Classicorum morbos ab illorum potissimum in diæta erroribus dependere; quos tamen evitare, & meliores vivendi rationes ipsis præscribere, fortè inutile, & ad rationis figmenta pertinet: Quando alias quidem facilius est, alimenta & medicamenta optima, cuivis ægrotanti proficua excogitare & præscribere, quam comparare, vel comparata etiam ab ægris ritè admitti, & admissa tandem, ob innumera im-

pedimenta intervenientia, speratum effectum consequi; Id certè multò magis in navibus, inter tot ærumnas, anxietates, intempestates aliaque incommoda metuendum. Nuspiam hic tuta fides, nuspiam minus, quām in Castris, & multò minus in Navibus exactum & debitum rerum non-naturalium regimen observare licet; ubi sēpissimè necessitas, durum illud telum, cogit, aëris cujuscunque injuriis se exponere, cibum quemcunque, etiam durissimum, crassissimum, & esui prorsus ineptum, ad sedandam famem, aquasque impurissimas, æstum sitimque sedandi causā, avidissimè haurire; per multos dies noctesque vigilare, & absque omni remissione corpus defatigare; perpetuò insuper inter vitæ spem mortisque metum, tanquam inter sacrum & saxum hærere: Et quis omnes molestias, Navigantibus quasi proprias, enarrare posset?

THES. II.

Nihi lo fecius tamen his omnibus in tantum, si non in totum remederi licebit: Poterit omnino, sive ante ingressum in navem, sive etiam aliis temporibus, concessa aliquali quiete, & favente cœlo, medela aliqua afferri; qua collectæ aliis temporibus impuritates, ceu semina futuronum morborum, vel jam præsentium rursus eliminantur,

tur, temperies humorum viscerumque tonus restituitur & conservatur: Sic omnino aër crassus, humidus, uliginosus igne solùm accenso, vel suffumigiis è pulvere pyrio, succino, mastiche, thure, tabaco, baccis juniperi & similibus; nimis verò calidus & squalidus ad minimum linteis madefactis in conclavibus corrigi poterit: Pariter ab aëre nocturno corpus, in primis caput magis muniri, &, ne transpiratio ipsi debita prorsus inhibeat, saepius fricando caveri potest.

THES. III.

Si res angusta, uti in navibus non rarum, cibis esui ineptis & minus salubribus vesci cogit, tunc tamen in his modis & mediocritas observari poterit: Edendum ipsis tantum ut vivant & famem sedare possint, quo ipso etiam cibi crudi à ventriculo superantur: Quid quod consuetudo, veluti altera natura, faciat, ut iisdem minus noceat; Licet enim cibi ejusmodi duriores aliis advenis minus conducant, & gravissimos saepe morbos in iis excitent; aliis tamen, huic vitae generi adsvetis, minus nocent, imo magis prosunt, quam teneriores: æquè ac illi, qui juxta Hippocrat. Sect. II. Aphor. XLIX. solitos labores perferre consueverunt, etiamsi invalidi sint, aut teneriores, eos tamen fa-

cilius ferunt, quām qui non adsveti, quamvis robusti & juvenes; vel noxa exinde contracta medicina convenienti, in tempore exhibita, corrigi poterit. Priusquam mari te committas, monuit jam tum *Avicenna Lib. I. Fen. IV. S. V. Cap. II.* condūcit, ut corpus moderatè evacues, cum non expedit, corpore repleto in vias istas ire: Deinde præstat, per aliquot dies parcus & moderatus cibō potuque uti, & ventriculum confortantibus euporistis, e. g. micā panis, vinō odorifero conspersa, reficere, nisi alia adhuc medicamenta in promptu sint: Si mare ventis agitatur, fluctibus que exasperatur, sobrius quoque vivere conducit; si tranquillum liberalius, ubi digestiones minus turbantur & melius succedunt: Atque sic in reliquis sanitatis studiosi sibi omnino prospicere possunt & debent, quantum quidem loci temporisque ratio permittit.

THES. IV.

Sed videbimus jam, an & quibus remediis morbi antea enumerati imminentes, aut jam præsentes, curari queant: Inter quos præcipuum omnibusque ferè Navigantibus communem, nau-seam & vomitum esse antea vidimus: Talem vero, sive ab agitatione ista insolita in fluctibus aquarum

rum tantum, sive etiam à terrore, ipsiusque Navigantis cacochymia & debili ventriculo oriatur, primis quidem diebus haud coërcere, quin potius promovere expedit, quoniam eodem, veluti crisi salutari, impuritates ventriculi & primarum viarum, dudum collectæ, commodè evacuantur, eoque ipso febres & plurimi alii morbi imminentes avertuntur, aut jam præsentes abiguntur: Imo, urgente nausea inani, & præsentibus indicantibus, vomitorium blandum exhibere nihil impedit: Quodsi verò diutius protrahatur & dolorem faciat, majori omnino industria curetur, necesse est, nè ventriculi tonus planè destruatur, aliaque plura mala exinde consequantur. Declinandus, quantum fieri potest, omnis metus; & nè à vaporibus fœtidis, in navi frequentibus, afficiatur æger, in carina ejus sudo cœlo sedeat, nec tamen undas fluctuantes attentis oculis adspiciat. Illi, qui in mari navigant, monet *Celsus Libr. I. Cap. III.* & nau-seâ afficiuntur, si multam bilem evomunt, abstinere cibo debent, vel parcius eodem uti: Qui vero pituitam acidam effundunt, utique cibum, sed leviorem sueto capere possunt: De cætero in promptu sint, quæ ventriculi & reliquorum viscerum tonum corroborant, medicamenta tam interna, quam externa: Ex illis Elix: Ⓣl. Myns. vel alia ejusmodi Essentia balsam-

balsamica, Theriacal. Menth. Absynth. comp. Lign. Aloës Balf. vitæ, Tragæa aromatica cum Mastiche, Thure, Confect. & Morsuli de hiacynth. Cydoniat. ὑα theriacal. cinam. cydon. mastichin. & similia; Alias quoque ipsam ὑam maris mihi aliisque profuisse expertus sum, secundum consilium Scholæ Salernitanæ:

Nausea non poterit quenquam vexare Marina,

Undam cum vino mixtam qui sumpserit ante:

Extrinfecus verò Empl. aliquod stomachal. de tamahac. de crust. pan. diaphænic. vel etiam Sacculi ex absynthio, mentha, caryophyllis, N. Mosch. mastich. in vino cocti & calide applicati, officium facient.

THES. V.

Talia etiam in Diarrhœa aliisque alvi fluxibus, licet cruentis, proderunt, quibus, si gravitas mali urget, plura adhuc è Pulv. bezoard. Sennerti, pannon. rubr. Stegnot. Guttm. Spern. Croll. Sangv. dracon. Catechu, Spec. d. hiacynt. terr. sigill. bol. armen. unicorn. fossil. parata, & cum Theriac. cœlest. vel Laud. op. pro necessitate aucta, addi poterunt: In Dysenteria verò, etiamsi contagiosa, præmissa debita abstersione cum Rhabarbaro, vel potius Ipecacuannha, pulverem euporiston è gumm.

gumm. arab. & tragacanth. nec non oleum olivarum & lini largiter in iusculis datum maximè proficuum esse experti sumus; modò caveatur sedulò in omnibus ejusmodi fluxionibus curandis, nè ordo invertatur, & adstringentia, ubi potius laxantibus & abstergentibus opus erat, dentur, & vice versa. Sæpius enim mala hæc à totius corporis cachexia dependent & foventur, cui ante omnia pròspiciendum, indeque potius aperientia, evacuantia & alterantia, quæ cujusvis ægri constitutioni exacte convenient, adhibenda: Imo quando febris, vel solum debita sanguinis motio & evacuatio inhibita, venæ sectio in subsidium trahenda. Et quoniam præcipuum curæ momentum aliàs in quiete & libera transpiratione consistit, eadem quoque quantum quidem hujus vitæ locique ratio admittit, omni studio commendandæ & procurandæ.

THES. VI.

Quodsi verò, uti inter Navigantes non raro fit, ob continuos vomitus, vel abusum rerum adstringentium, vini adusti, vel alias, nec non panis biscocti nimium exsiccati, & similiū, aut etiam ob defectum potus necessarii, alvi adstrictiones, non minus valde pernitosæ, indeque ventris inflationes, cardialgia, tormina & passiones colicæ &

iliacæ orientur, vel solum imminere videantur, tunc omnino in tempore de illorum quoque medela cogitandum. Si potus deficiens, vel corruptus in culpa, idem, quantum possibile, coctione & digestione cum pane, CC. usto, rasura liquiritiæ, saf-safr. passulis, sem. anis. coriandr. nec non præcipitatione & filtratione, addito insuper zu o . el . vel Θ is dulc. Clyffo mineral. simplici & alkal. vel simili corrigatur, ac de cætero diaeta magis humectans, è jusculis & pulmentis commendetur; aut si hæc non sufficiunt, alvus Pilulis, Θ ibus vel Elixiriis abstersivis moneatur; cui fini in casu necessitatis etiam clysteres domestici, è sola ∇ a Θ fa cum butyro, oleo communi, vel lini parati sufficere possunt.

THESES. VII.

Ita cum fieri non possit, quin inter vomitiones & diarrhoeas, vel etiam alvi adstrictiones, ventriculi imprimis tonus maximè debilitetur, indéque cruditates, febres aliaque mille mala excitentur, ejusdem quoque rationem & curationem habere convenit: Eoque fine, præter priora, adhuc alia stomachica euporista amara & balsamica, e.g. Eff. Abs. comp. Menth. Zedoar Gentian. Helenii, Trifol. aquat. Cochlear. & similia proderunt: Et,

ne

ne alimenta illa duriora minusque salubria adeo nocere queant, monendi sunt teneriores, his minus adsveti, ut iisdem parcus vescantur, ac digestionem eorum debitiss adjumentis & condimentis ex arantiis, limonibus, capparibus, malis citri & cydoniis conditis, vel confectis, item - vino generoso, spiritu vini & similibus, quæ alias in navibus non facile deficiunt, adjuvetur & promoveatur.

THE S. VIII.

Atque hæc omnia licet in locis illis maritimis & navibus omni sollicitudine obseruentur, tamen non raro contingit, quod inter Classiarios, non solum ob alimenta & digestiones eorum pravas, sed in primis etiam aëris subitaneas & ferè momentaneas, indeque transpirationis mutationes, febres omnis generis oriantur; ubi ergo ante omnia rursus ad causas illas specialiores & manifestiores respicendum, ut, quantum fieri potest, in tempore remediis debitiss resistatur, iisque modò evacuantibus vomitoriis, vel per inferiora purgantibus, modò alterantibus & antifebrilibus selectioribus, facilius hic locorum parabilibus: Quo nomine omnino è vomitoriis Frus emeticus & Radix Ipecacuannha, è purgantibus Gialappa, Rhabarbarum, Mechoacanna, Scammonium, Folia Sennæ & illis præpara-

rata selecta: Ex alterantibus verò & antifebrilibus Θia plantarum, ♂ depurat. camphorat. ♂tum, ♂latum, ♀atum, ♂ diaphoreticum, Bezoardicum minerale s. & ♂le, zle, Magnesia alba, C. C. pptum, Mater perl. Corall. Lap. ♂. pulv. Conchar. Cort. Chin. Chaquirillæ, Lign. Colubrin. Fraxin. Mistura S. Rā. bezoard. s. & camphorata, Essentia febrifug. usitata, Absynthii c. Card. Bened. Centaurii, Gentianæ, Cort. Chinæ, Chaquirillæ, ♂us bezoard. C. C. ♂ dulcis aliaque, & pro indicantium ratione magis composita commendari merentur: Velsi plane miasma malignum & contagiosum, uti sæpe fit, id requirit, etiam alexipharmacæ alia, ratione & usu comprobata, Lapisbezoard. oriental. & occident. Pedro del Porco, Margarit. Pulv. Cephal. Michaël. Marchion. Pannon. rubr. Spec. de hiacynth. & alia appropriata addi poterunt. Neque Venæ Sectio, ubicunque indicantia ejus adfuerint, nec contraindicantia graviora disfasserint, omittenda, imo pro necessitate aliquoties repetenda. Utrum verò eadem absolutè & in omnibus, maris culpa febricitantibus, conducat, uti quidem Medicus Angliae celeb. D. Cockburne Tract. d. Affect. marinis censet, omni- que industria commendat, non facile fasserim: Etsi enim ea ipsa vasa sangivifera insigniter depleantur, inde-

indeque ventilatio & transpiratio, in maritimis locis, ob aërem adeo crassum & frigidum, alias maximè impedita, promoveatur; propterea tamen nihil horum efficiet, ubi defectus sanguinis, & ejus loco potius ingens cacochymia viscida, phlegmatica, austera, viscerum labes inveterata, virium lapsus aliaque contraindicantia obstant. Paucis; febres omnes sunt incipientes crises, qua cujuslibet ægri natura impuritates, in sanguine & aliis humoribus collectas, proprio conatu separare & excludere nititur; unde semper cavendum, ne crisis illa, sive ad evacuationem, sive solùm translacionem materiæ morbificæ tendat, quocunque modo inhibeatur, quin potius, si conatus bonus & conveniens, promoveatur, sin minus, tamen corrigatur & dirigatur. Neque tantum sedulo caveatur ne evacuationes, vel solùm translationes criticæ, quocunque modo impedianter, sed nec aliæ præpostere & contra naturæ conatum excitentur: Hinc febrium intermittentium paroxysmi & exacerbationes, imprimis in cacheoticis, non statim suppressendi, quin potius ad dies aliquot permittendi; adhibitis interea alterantibus & aperitivis, donec fomes febrilis satis digestus & evacuatus fuerit. Habent enim febres hæ communiter, præter labem sanguinis reliquorumque humorum,

morum, adjunctas infirmitates ventriculi aliorumque viscerum, unde quicunque, non satis repurgatis humoribus & visceribus, statim ad absorben-tia & adstringentia confugiunt, saepius ex leviori febre graviorem, diuturnam, hecticam & cache-eticam, aliosque plurimos morbos sibi fabricant: Observavimus tamen quoque purgantia & vomitoria fortiora, etiamsi præservationis gratiâ insti-tuta, has febres potius excitasse quam curasse, nisi ægri temperamentum, naturæ ipfius conatus, aliæque circumstantiæ observatae fuerint. Pariter fe-bres continuæ omnes ad excretiones & depura-tiones sanguinis tendunt, sive subitaneas, per ex-anthemata varia, sive successivas, per sudores, diarrhœas, hæmorrhagias aliasque evacuationes; ubi natura ægri in conatibus suis nunquam impe-dienda, neque præter necessitatem medicamentis cumulanda, sed solum dirigenda, vel corrigenda; id quod etiam in febribus malignis & contagiosis, ipsaque peste observandum.

THES. IX.

Quod verò Scorbustum, maritimis præ omnibus aliis morbis vernaculum & endemium, atti-net, Classiarios ab eodem defendere quidem dif-ficillimum omnino, imo vix possibile videtur, quamdiu in aëre isto turbido, crasso multisque efflu-

effluviis aquosis, salinis, imo putridis ab \triangledown is non solum, sed & cadaveribus aliisque fōrdibus prægnante, degunt, quamvis reliqui in diæta errores & delicta fortè evitentur: Attamen his quoque in tantum, si non in totum remederi licet: Corrigi potest aër vel solo fumo tabaci, qui eliciendæ simul humiditati superfluæ & salivæ vitiosæ corrigendæ apprimè confert; modò temperamenti, consuetudinis aliarumque circumstantiarum ratio habeatur, & excessus omnis evitetur: vel ejus loco etiam suffimigia è ligno & baccis juniperi, thure, mastiche, succino & similibus substituantur. Ita \triangledown æ & cerevisiæ malæ notæ, impuræ, uti supra jam monuimus, coquendo, filtrando & præcipitando, imo herbis antiscorbuticis affundendo, commodè corrigitur: Sic panis mucidus exsiccatione, contusione & cum seminibus anisi, fœniculi, coriandri, carvi, baccis juniperi permistus; carnes nimium salitæ & fumo induratæ, ante coctiōnem in \triangledown a dulci satis maceratæ, emollitæ & lotæ minus nocent: vel si hæc non sufficiunt, in promptu quoque sint præter universalia evacuentia, medicamenta antiscorbutica, modò calidiora & volatilia, modò magis temperata, cujusvis ægri temperamentu & texturæ apta, quibus aliæ loca maritima præ cæteris ex providentia Divina gaudent.

dent. De Grönlandia notissimum est, inquili-
nos & advenas ibidem Scorbuto tam violento in-
festari, ut vix ullus ab eodem immunis viveret,
nisi remedia quoque inquilina & optima, Coch-
leariam, Becabungam, Acetosam, Trifolium fi-
brinum aquaticum, Nasturtium, Fumariam, Hy-
pericum, Helenium, Chelidonium minus, Pim-
pinellam, Centaurium, Absynthium, Chamædrin,
Chamepytin, Raphanum rusticum & similia ha-
berent, & usu eorum quotidiano se ab eodem
præservare & munire possent. Sic pleræque her-
bæ, quæ solo nostro emergunt, inquit Magnus
noster Bartholinus, *Patriæ nostræ immortale Decus Lu-*
menque, Actor. Hafniens. Vol. III. Obs. XXXVIII.
aliquid alexipharmacæ, contra inquilinam scorbu-
ti labem, secum vehunt; è quibus etiam ñam an-
tiscorbuticam egregiam Celeberrimus *Olaus VVor-*
mius composuit, quæ adhuc in officinis ibidem
prostat, multorum votis expetita & usui maximè
probata: Ad cuius igitur imitationem ex iisdem
plantis etiam Essentiæ, Extracta, Decocta & Infu-
sa, loco Theæ orientalis, pulveres aliisque facili
negotio parari, cum aliis componi, & non solum
cujusvis ægri temperamento, sed palato etiam ad-
aptari possunt: Sciendum præterea, quod, uti aliæs,
ita quoque in mari versantibus, non eadem omni-
bus

bus medicina ejusdemque dosis conveniat; quoniam in his humores communiter magis crassi, viscidi & austeri, & corpora ipsa firmiora magisque constipata, difficilius omnino à medicinis moventur & alterantur, nisi dosis, sive alterantium, sive purgantium, ad tertiam usque partem augeatur, uti nostrates Medici toto die experiuntur, & quoque Illustris Admiralis Danicus NICOLAVS JVEL, cum post gloriofa prælia navalia in Mari Balthico Hafniam reverteretur, eosdem serio monuit.

THES. X.

Atque his observatis, etiam reliqua mala, asthmatiscorbuticum, colica, iliaca, nephritis, arthritis, tumores, ulcera, stomachace aliaque ex hoc fonte promanantia, si non penitus & in omnibus Classiariis præcaveri, maximè tamen mitigari, & facilius longe curari poterunt. Soli certè succi plantarum modò laudatarum, recenter expressi, & cum potu ordinario, vel jusculis permisti, nec non plantæ ipsæ ibidem frequentes & recentes, imprimis Trifolium illud aquaticum, Becabunga, Acetosa, Sedum minus f. Herba vermicularis, Cochlearia & Nasturtium aquaticum, loco Theæ infusa, æquè ac Decota lignorum pere-

grinorum usitata, aliàs non immeritò in his affe-
ctibus tantopere laudata, larga sua humiditate,
non solum omnia vasa, etiam tenuissima, perva-
dunt, visciditates & Θia illa peregrina diluunt,
abstergunt & per vias secretorias expeditunt, sed
etiam partibus suis balsamicis tonum viscerum
omnium corroborant, eorundemque digestiones
& secretiones egregiè promovent, præcipuè si,
pro necessitate & conditione ægrotorum, etiam
alia adjuvantia, absorbentia, Cinabarina, ḡta, ♂ata;
item volatilia ~us C. C. Viperarum, Bezoard. Buss.
Θxi ci anis. Gummi ammon. Cochlear. Asthmat.
Mich. Aperit. Penoti & similia adduntur & inter-
ponuntur. Extra mœnia nostra Havniensia, &
ubique ferè in triviis, nasturtium illud sylvestre, si-
ve thlaspi modo laudatum in tanta cōpia prove-
nit, Θe vol. balsamico & antiscorbutico egregio
præditum, ut nostrates Medici jam tum priori se-
culo A. M. DC. LXXII. è sola hac planta ~um
quendam essentificatum, ope Dn. Beckeri Pharma-
copei quondam peritissimi & curiosi, compararint,
magni usus, de cuius virtutibus supra laudati *Thom.*
Barthol. encomium instar omnium est, quod in *Actis*
Hafniensibus, reperitur, quando inquit: *Novum illud*
& maximè utile pharmacum scorbuticis præscripsi nuper-
rimè, quo cum voluptate usi, commodum non leve experti
sunt.

sant. Exhibui verò cum \triangledown a antiscorbutica B. nostri Dn. Olai VVormii, quæ in officinis nostris prostat, reliquisque palmam præripit: In binis Scorbuticis Prottenuis quoque medicamenti efficaciam deprehendit, & post bac plurimorum experientia nobilitabitur: DEO sit laus pro Medicinæ domesticæ incremento. In Grönlandia Cochleariam & Acetosam, quæ duæ plantæ imprimis in monte, ursorum dicto, ibidem coniunctim & tam copiose crescunt, ut gressus viatorum impedian, cum Rhangiferorum aliarumque avium carne recenti & avenacea, vel hordeacea ptisana coquunt, ejusque brodii, his herbis antiscorbuticis conditi esu ita alvum laxari dicitur, evacuatis humoribus corruptis, ac si medicinam catharticam haussissent, cum subitanea remissione omnium symptomatum.

THES. XI.

Quod si tamen symptomata quædam graviora propriam simul curam urgeant, ex iisdem plantis inquilinis parata remedia, si alia deficiunt, sæpe sufficiunt: Sic ad gingivarum putredinem, plerisque communem, inhibendam egregiè prodest frequens collutio & abstersio oris & faucium cum decocto absynthii, scordii, cochleariae, vel quod melius, sed minoris cum ipsa \triangledown a marina parato, & melle ro-

sarum arbitraria quantitate edulcorato: Idem decoctum sedi istius cum cerevisia paratum, præter usum internum, etiam extrinsecus applicatum, scabiem & ulceram sordida tibiarum egregiè abstergit & consolidat: Immo contracturis artuum medetur, fomenti loco usurpatum.

THES. XII.

Sic Hæmorhoidum tumores ferventes, mali scorbutici proles, præter curam istam internam, sæpe quoque externam, eamque subitaneam sibi postulant: Quo fine, præmissis quidem universalibus, in tempore, antequam inflammatio & exulceratio eorum accedit, etiam extrinseca lenientia & discutientia Unguent. de Linar. de Lithargyrio, Camphor. alb. Populeum; oleum Scorpion. Lini, Lilio. albor. Mucilag. Gummi tragacanth. Cydon. Vitell. ovor. Butyr. non salitum & similia adhibere convenit; præsente verò jam inflammatione, præmissa, si opus, Venæ sectione, à pinguibus abstinentium, adhibitis eorum loco fmentationibus, magis discutientibus, ex decocto Scordii, Ruthæ, Flor. Sambuc. Verbas. Chamæm. Sem. Lini parato, & cum Spiritu Vini camphorato aucto; vel si tumores planè ad exulcerationem tendunt, quod tamen omni modo, quantum possibile, inhiben-

hibendum, etiam linimenta abstergentia e. g. dia-pompholog. oleum momordicæ genuinum, Sacch. & Magist h̄ q̄ius d. Lap. calamin. & similia in sub-sidium trahenda.

THES. XIII.

Sed hic quoque in tempore cogitandum, ut frigoris inclemens omni modo arceatur: Corpus, in primis quoad extrema, probè munendum, quo fine Mindererus in Medicina sua militari pelles leporinas ab experientia valde commendat: Internè verò ipsa antiscorbutica, antea commenda-ta, maximè Allium, Nasturtium, Thlaspi, Cochlearia, Raphanus rusticanus, Vinum, vel ~~o~~us ejus, usus nicotianæ & similia præservant, calorem internum augendo, ut frigoris vis eò minus lædere possit: Ideo etiam, sæviente bruma, uti aliàs, ita hic in primis minus tutum est, sub dio quiescere & dormire, licet lassitudo & somnus quam maximè urgeant; quoniam obrepente somno, ob remittentem elaterem succorum, calor simul remittit. Jam tum verò ab eodem læsi caveant, nè membra frigore tacta igni admoveant, quin potius actu frigida, aquam frigidam, nivem, glaciem rasam & similia, cum frictione diligent, applicent, adhibitis simul internè resolventibus balsamicis, quibus

motus & transpiratio humorum debita restituitur & conservatur: Quo fine etiam Ræ bezoard. camphor. Mistur. f. vel Ess. Theriac. Myrrh. Succin. bals. -us C. C. bezoard. Balsam Vitæ aliaque medelam præstant: Ubi vero membra jam tum exulcerata, tum putredini resistentia, abstergentia & exsiccantia, e. g. Decocta Ruthæ, Scordii, Absynthii, Sem. urticæ, avenæ; Spiritus Vini Camphor. Oleum Lauri, Ceræ, Ungv. de Rapis Myns. Diapomphol. ḡnin. &c. in subsidium trahenda,

THE S. · XIV.

Sic oculorum ex frigore, vel splendore varum, imminens periculum averti debet & potest, si illi panno quodam tincto retiformi, vel paropiis vitreis ab istis injuriis muniuntur, quod militibus in expeditione Cyri maximè profuisse, *Xenophon Lib. IV. Hist.* meminit: Et incolas rupium Regni Tibet hoc ipso remedio adversus cæcitatem se defendere *Nierenbergius Histor. Nat. C. LXIX.* refert. Sed tamen ante omnia etiam alimenta illa, à quibus oculos maximè lædi, supra observavimus vitare convenit: læsione jam tum facta, cura ad injurias istas marinas in specie dirigenda, & quidem in frequenti illa encanthide, ægilope & angilope

gilope èò laborandum, ut, præmisfis & interpositis universalibus antea laudatis, serì istius vitiosi, viscidi & falsi affluxus ab oculis arceatur, stagnans ibidem discutiatur, & tenerrimis aliàs glandulosis membranofisque partibus naturalis temperies & robur restituatur: Cui usui Collyria magis exsiccantia è Lap. Calaminari, Tutia, Sarcocolla, Aloë, Myrrha, Sangvine Draconis, Thure, Mastiche, Camphora &c. præparata egregiè satisfaciunt; & si alia adhuc symptomata concurrunt, plura quoque remedia à prudenti Medico facile addi possunt.

THES. XV.

Quod verò læsiones à vermibus attinet; Infesta, pulicibus similia, declinari possunt, pedes tibialibus calceisque probè muniendo, vel etjam Decocto Absynthii, Scordii, allii, Spiritu Vini camphorato abluendo; aut si nihilominus irrepserint, eadem statim eruenda, & loca læsa oleo therebinthinae, lauri, spicæ, picis, vel pinguedine piscium illinenda: Sic Dracunculi, quos in Guinea Ickon appellant, cautè educendi sunt, ne retrocedant, vel rumpantur, quem extrahendi modum & instrumenta cum omnibus circumstantiis, & requisitis videre licet apud *Velschium l. c. & O. Dapper Afric. p. m. 462.* Ad arcendos pediculos sufficiere

cere itidem potest Allium, ob cuius usum largiorem Judæi, ut ut alias fôrdidis vestimentis incedant, nec eadem frequenter mutent, tamen ab iisdem rarius, vel nunquam afficiantur. Alias verò ab ejusmodi insectis etiam defendunt indusia in ipsa aqua marina lota & exsiccata, nec non Camphora de collo suspensa, Crocus sacculo inclusus & sub axillis gestatus; vel, qui omnibus aliis præstat Mercurius vivus, in Unguenti formam redactus, & vestium plicis illitus.

THES. XVI.

De cætero non raro contingit, quod Navigantibus famem sitimque diutius perferre necessitas & inopia imperet, quarum tamen aliqualis medela invenienda; atque tunc omnino, in defœtu aliorum, latrantem stomachum aliquamdiu sedare potest crusta panis cum sale & allio trita, particula Theriacæ per intervalla cum Spir. Vini sumpta, vel haustus solius spiritus Vini, aut vini generosi, si haberi potest, nec non Nicotiana non per fumum solum, sed masticationem usurpata, utpote quibus non solum menstrui stimulantis acrimonia corrigitur, sed & vigor succorum & robur ventriculi conservatur. Asiaticis in hunc finem Opium familiare esse expertus sum:

Ita

Ita ad sitim sedandam faciunt Succi Berberum, Ribium, Conserva rosarum Olatæ, Citri, aceto-sæ & similia, vel solùm Nitrum ejusdemque loco pulveris pyrii particula, lingvæ siticulosæ imposita; item Passulæ minores majoresque, liquiritia in ore contenta & masticata: Imo globuli plumbei in ore versati, alliciendo salivam, sitim quodammodo tollunt: Quamvis, uti supra jam monuimus, etiam aquæ impuræ decoquendo cum pane tosto, C. C. usto, Corticibus Citri, arantiorum, Rad. angelicæ, pimpinellæ, carlinæ, Semine anisi, Coriandri aliisque quodammodo corrigi & loco potus, in casu necessitatis, inservire queant.

THES. XVII.

Vidimus quoque supra, quanta sæpius sollicitudine, angore, terrore & metu tententur Navigantes, imprimis novitii minusque adsueti, ut non solum tremore cordis, totiusque corporis motibus spasdicis & lipothymiis corripiantur, sed parum absit, quin præ mœrore & desperatione animam effundant; ubi omnino remedia tam interna, quam externa, in promptu sint, necesse est, quæ vires languentium subito recreare, aliaque exinde oriunda mala avertere sufficiunt. Quo fine quidem solùm vinum generosum, acetum, væ

apoplecticæ, carbunculi, cinamom. Bals. vitæ, Θ
vol. C. C. oleolum & similia conducunt.

THES. XVIII.

Atque hæc sunt, quæ speciminis hujus loco in compendio afferre visum fuit; antequam verò colophonem imponimus, paucis adhuc meminisse juvabit, utrum Navigatio Phthisicis aliisque ægris curandis, medicinæ loco, inservire possit, uti quidem latinus noster *Hippocrates Celsus L. III. C. XXII.* innuere videtur. *Si mali plus est, inquiens, & vera phthisis, inter initia protinus occurrere necessum est, neque enim facilius morbus, cum intraverit, evincitur: Opus est, si vires patientur, navigatione, cælique mutatione, sic ut densius, quam id est, ex quo discesserit eger, petatur. Ideoque aptissimè Alexandriam ex Italia itur: Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longè gestari commodissimum est; Si navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est: Quo etiam pertinet exemplum ægri, cuius meminit Baglivius Oper. Pract. p. m. 387. qui Romæ ad Forum Boarium, in Velabro asthmate, ad phthisin vergente, laborabat, irritis omnibus remediis, Neptunum concessit tringinta circiter ab urbe lapide: Ille, quamdiu ibi degit, & marinum aërem hausit, melius semper valuit, quam primum verò domum rediit, statim & si-*

ne

ne mora asthmate aliisque symptomatibus fuit correptus, donec aërem marinum denuo inviserit. Verùm intelligenti facile liquet, Celsum non tam navigationem ipsam, quām loci & aëris minus salubris cum meliore mutationem ægris phthisicis commendare; cum enim aér in Italia sæpe tenuior & acrior pulmonibus læsis exulceratis minus proficuus sit, ejusdem loco non immeritò sicciorē illum & balsamicū Ægypti, utpote qui ichorescentibus pulmonum ulceribus consolidandis apprimè conductit, præferebat & commendabat; quorsum etiam ægri istius loci navigatione non adeo longinqua, & per mare quietum pervenire facile poterant: Qua de causa jam olim etiam Medici ægros phthisicos & hæmoptycos versus Ægyptum & Alexandriam mittebant, teste *Plinio L. V. Epist. XIX.* Ita memini Virum quendam generosum in patria mea, referente O. Borrich. in *Act. Hafn. Vol. III. Obs. 47.* ex infelici fractura cruris fistulam, perpetuo stillicidiō valde molestam, nullisque remediis sanabilem contraxisse, qui vero in Hispaniam, negotiorum causa, missus, toto sexennio, quō Madritii, substitit, nihil amplius mali hujus sensit, donec Hafniam rediret, ubi fistula paulatim rursus aperta more veteri stillare cœpit. Et hæc procul dubii ratio est,

quod Navigantes symptomatibus scorbuticis miser-
rimè vexati in Insulis Oceanis. Helenæ & Bormudes
dictis, subito & sponte sua reconvalescant: Alias
quidem solum motiones corporis decentes mirum
quantum ad sanitatis non solum conservationem,
sed etiam restitutionem facere, quilibet novit, ita
multò magis peregrinationes, & cum illis cœli tem-
pestatum, alimentorum, curarum aliorumque cum
melioribus mutationes, quibus corpus animusque
simul recreantur, uti videre est ap. *Hippocr. L. IV.*
Epidem. S. V. T. LXIX. Galen. L. d. uteri cura. *Seneca*
d. Tranquill. anim. Cap. XV. Nè commemorem,
quod crebris vomitibus in mari impuritates pri-
marum viarum evacuentur, & hac ratione à variis
morbis interdum liberentur.

THES. XIX.

Tandem & hoc monendum, nè exeuntes è na-
vi statim quieti nimium indulgeant, quin po-
tius motionibus, haec tenus fvetis, alia corporis
exercitia substituant, donec debita ejusdem tran-
quillitas sua sponte sensim redeat. Neque tutum
est, corpus cibis potuque, licet optimis, nimium re-
plere, ob mutationem subitaneam, quæ naturæ mi-
nus convenit, indeque semper periculosa
observatur: Tantum hac vice.

S. D. G.





